

**www.e-rara.ch**

**Benedictionale ad usum parochorum territorij S. Galli**

**Gugger von Staudach, Coelestin**

**Typis Principalis Monasterij S. Galli, MDCCLXVII. [1767]**

**Stiftsbibliothek St. Gallen**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117355>

De processionibus.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## DE PROCESSIONIBUS.

**P**ublicæ, sacræq; Processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquissimo SS. Patrum instituto Catholica Ecclesia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum uti consuevit, quâ par est religione celebrari debent: continent enim magna, ac divina mysteria, & salutare Christianæ pietatis fructus eas piè exequentes à Deo consequuntur; de quibus fideles præmonere, & erudire, quo tempore magis oportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant in primis Sacerdotes, aliq; Ecclesiastici ordinis, ut in his Processionibus ea modestia, ac reverentia tum ab ipsis, tum ab alijs adhibeatur, quæ pijs, & religiosis hujusmodi actionibus maximè debetur.

Præsertim verò studeant Parochi, ut ubi consuetudo viget in festo Ascensionis Domini cum sanctissimo Sacramento per agros, & campos equitandi summa illud, quâ decet, & par est, reverentiâ, modestiâ, gravitate, devotione, & cultu ab omnibus, qui tali processioni intersunt, peragatur, ne ob exhibitam fortè ab ali-

quibus

quibus huic sanctissimo Sacramento irreverentiam divina Bonitas ad iram potius, quam miserationem provocetur.

Omes decenti habitu, superpelliceis, vel alijs sacris vestibus, sine pileis, nisi pluviam, aut aliam causam cogente, induti, graviter, modestè, ac devotè bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoq; colloquio, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie, devotèque precandum invitent.

Laici à Clericis, femina à viris separata orantes prosequantur.

Præferatur Crux, & ubi fuerit consuetudo unum, vel plura vexilla sacris Imaginibus insignita, non tamen facta militari, seu triangulari forma.

Edendi, ac bibendi abusum, secumvè esculenta, & poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisq; lustrandis, & suburbanis Ecclesijs visitandis, Parochi tollere studeant: ac fideles, præsertim die Dominica, quæ proximè Rogationes antecedit, quàm hæc dedeceat corruptela, sæpius admoneant,

Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario, vel Clero videatur.

Processiones autem quedam sunt ordinariae, quæ sunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis Beate Mariæ semper Virginis, & Dominica Palmarum

rum, & in Litanijis majoribus in festo S. Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, & in festo Corporis Christi, vel alijs diebus pro consuetudine Ecclesiarum.

Quaedam verò sunt extraordinaria, ut quæ varijs, ac publicis Ecclesie de causis in dies indicuntur.

Observandum præterea Processionem in festo Annuntiationis B. V. & menstruam, si incidant in Dominicam Palmarum, vel Dominicam Paschæ, & Pentecostes (licet Indulgentia non transferantur) transferendas esse in feriam 2. Paschæ, vel Pentecostes.

Secundò, Virgines fertis, & corollis uti, & ante Clerum incedere solummodò in Processionibus mensuris, festis B. V. & quoties solemniter circumfertur SS. Sacramentum, alijsq; majoribus solemnitatibus. In supplicationibus verò, quæ pro diversis necessitatibus instituuntur, ac in Litanijis majoribus, diebusq; Rogationum cum reliquis fœminis sine corollis debere incedere.

De Processionibus in die festo  
Purificationis Beatæ MARIÆ semper Virginis

Completa benedictione, & distributione candelarum, ut in Missali Romano reformato, sit Processio eo ordine, ut ibidem præscribitur.

De Processione in die Palmarum.

Facta benedictione, & distributione Palmarum, seu Olivarum, post ultimam Orationem, Omnipotens sempiternus Deus, instituitur Processio prout in Missali Romano præscribitur.

ORDO SERVANDUS IN LITANIARUM  
majorum Processione, quæ die festo  
S. Marci celebratur.

**C**lerus, & populus horâ statutâ manè in Ecclesia congregati omnes contrito, & humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur, Sacerdos pluviali, vel saltem superpelliceo, & stolâ violacei coloris sit indutus, cujus coloris habitu in reliquis processionibus semper utatur, præterquam in Processionibus Corporis Christi, & quæ fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem; quibus diebus utitur colore propria solemnitati congruenti. Cæteri verò Sacerdotes, & Clerici superpelliceis induti Antiphonam, Exurge Domine, &c. stantes concinant, cum Psalmo, Gloria Patri, &c. & repetita Antiph. genuflectunt omnes, & duo Clerici ante Altare majus genuflexi devotè Litanias cantare incipiant, ceteris eadem voce respondentibus. Cum autem cantatum fuerit, Sancta Maria. Ora pro nobis. Inclusive, surgunt omnes, & ordinatim procedunt, egredientes, Litaniasque prosequentes, præcedente Cruce cum vexillis, & sequente Clero.

Si Processio sit longior, vel repetantur Litanie, vel Litanis absolutis usque ad Preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex Penitentia- libus, seu Gradualibus. Hymni verò, vel Cautica lætitiæ in ijs, vel in Rogationibus, aut alijs penitentia causâ institutis Processionibus non dicantur.

Si ad unam, vel plures Ecclesias in via sit divertendum, ingressis Ecclesiam, intermissisque Litanis, vel Psalmis, cantatur. Antiph. cum Versu, & Oratione Sancti patroni illius Ecclesiæ. Deinde egredientes resumptis precibus, eodem ordine procedunt usque ad Ecclesiam, ubi cum Precibus, & Orationibus omnibus Processio terminatur.

In Litanis minoribus Rogationum servetur idem ordo.

DE PROCESSIONE IN FESTO SANCTIS-  
simi Corporis Christi.

**D**ecenter ornentur Ecclesiæ, & parietes viarum per quas est transeundum, tapetibus, & aulæis, & sacris imaginibus; non autem profanis, aut vanis figuris, seu indignis ornamentis.

Sacerdos primùm Missam celebret, qua finita, & Processione jam inchoata, ordine quo jam suprâ dictum est in Litanis majoribus, deponit Casulam cum Manipulo, quem etiam Ministri deponunt, ac pluviali albo indutus Sacramentum in Tabernaculo, seu monstrantia super Altare positum genuflexus trino integro ductu incenset.

Deinde Diaconus oblongum, ac decens velum circumponit scapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraq; manu cooperata, facta prius profunda genuflexione, ostensorium, seu tabernaculum à Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu, mox ad Altare ascendit, & Sacramentum ante faciem tenens vertit se ad populum, cui antequam ab altari discedat, cum Sacramento benedicit nihil dicens, Clero interim, vel ipso Sacerdote incipiente cantare, Hymnum, Pange lingua gloriosi Corporis mysterium, &c. data benedictione descendit Sacerdos sub umbellam comitantibus ministris & duo Acolyths, vel Clerici cum thuribulis effumantibus præcedunt.

Sacerdotes, Clerici omnes præcedent nudo capite accensos cereos gestantes, & sequentes Hymnos pro longitudine Processionis devotè concinentes, scilicet: Pange lingua gloriosi, &c. Sacris Solemnibus juncta sint gaudia, &c. Verbum supernum prodiens, &c. ut in Matut. & Laud. fest. Salutis humanæ sator, &c. Æterne Rex altissime. &c. ut in Vesperis, & Matut. festi Ascensionis Domini. Te Deum laudamus, &c. Benedictus Dominus Deus Israël, &c. Magnificat anima, &c. aliosque Hymnos, & Cantica pro longitudine Processionis.

Durante Processione, ubi facienda est statio, & cantandum unum ex quatuor Evangelijs, Diaconus monstrantiam è manibus Sacerdotis ante infimum gradum subsistentis susceptam, vel ipsemet Sacerdos ponat super paratam mensam, quæ mappis, & luminibus in modum Altaris sit exornata, explicato prius in ea corporali, deinde genuflexus ter Sacramentum seposito velo oblongo incensat. Mox Diaconus, vel ipse Sacerdos dicit, Munda cor meum, & petit benedictionem, prout in Missa, deinde è medio secedens, & advertens, ne terga vertat Sacramento cantat Evangelium, quo finito iterum Sacramentum genuflexus ter incensat, & reassumpto velo, ac facta profunda genuflexione prebendit utraq; manu, sicut prius, ostensorium populo benedicturus dicens:

Y. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc & usque in seculum.

Y. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

Benedicat vos omnipotens Deus Pater †, & Filius †, & Spiritus † sanctus. Y. Amen.

Deinde resumptis Hymnis, vel, Psalmis eodem ordine proceditur ad locum, ubi Altera statio facienda, & sic deinceps. Peracta Processione, sanctissimo Sacramento ad Ecclesiam reportato, & super Altare per Diaconum depositò, omnes Ecclesiastici hinc inde ordine genuflexi illud reverenter adorantes, dum Sacerdos de more incensat, cantant Versum Hymni, Tantum ergò Sacramentum, &c.

postea

*Postea duo Clerici dicant.*

*℣. Panem de caelo praestitisti eis, alleluja.*

*℞. Omne delectamentum in se habentem alleluja.*

*Deinde Sacerdos surgens, & stans dicit:*

*℣. Dominus vobiscum.*

*℞. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

**D**Eus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, & regnas per omnia saecula saeculorum. *℞. Amen.*

*Tunc Sacerdos Sacramentum iterum incenset, & facta genuflexione cum Sacramento benedicat populum in modum crucis, nihil dicens, Clero interim cantante Versum Hymni, Genitori Genitroque, &c.*

*Postea illud reverenter reponat.*

*Hic autem modus benedicendi servatur etiam in alijs Processionibus faciendis cum sanctissimo Sacramento.*



## RITUS

### SS. PRECUM PER XL. HORAS.

**D**ominicam antecedente facta denuntiatione publicarum precum juxta mandatum, & intentionem Superiorum mane hora 6. ta Parochus factam incensationem sub stropham: Tantum ergo Sacramentum, &c. & alteram Genitori, &c. dat cum SS. Sacramento Benedictionem nihil dicens &c. Deinde facta altera incensatione subjungit clara voce contritionem Em. Card. Sfondrati, post hanc populus oret Psalterium B. V. quod praevia semper contritione per singulas horas

continuat, subjungens, si hora permittit, *Lytanias de SS. Trinitate, vel SS. Nomine Jessu, vel Passione Domini, aut Lauretanus B. V. &c.* Demum ad finem horæ ultima, seu decima facta incensatione datur *Benedictio sub pulsatione majoris campanæ, & cantu strophæ: Tantum ergo Sacramentum, &c. &c. omniaq; observantur, quæ ritus præscribunt in solemnitate SS. Sacramenti, quod tamen in Monstrantia sine speciali licentia ordinarij nullus Parochus exponere debet. In ciborio autem ob publicam necessitatem sine cantu, & incensatione exponere potest.*

*Prohibitum est insuper, ne SS. Sacramentum ad extinguenda incendia deferatur; scriptum est enim: non tentabis Dominum Deum tuum. Math. 4. 7. Qui dixit mari: usque huc venies &c. & hic confringes fluctus tuos, potest & imperum ignis refranare, quandoque autem sicut potens, sic & justus mala quedam permittit; & quia num facile sit placabilis, ignoramus, vitandum est omne, quod & quorundam Christianorum fidem infirmare posset, & nostrorum honorem Mysteriorum malignis infidelium, aut hereticorum irrisionibus exponere.*



MODUS

MODUS RECITANDI PSALTERIUM, VEL ROSARIUM B. V.

1. **B**Zeichnet sich das gantze volck mit dem zeichen des H. † / und spricht mit andacht / und lauter stim : In namen G Dtt des Vatters † / und des Sohns † / und des H. Geists † / Amen.
2. Auf gleiche weiß soll auch gesprochen werden ins gesambt / und ohne abtheilung der Apostolische glauben / als dan auch widerum ohne abtheilung daß H. Vatter Unser / welches also ohne abtheilung durch den ganzen H. Psalter / oder Rosenkrantz gebettet soll werden.
3. Als dan wird durch den ersten zehner von dem Mannen-Volck gebetten der erste halbe theil des Englischen grueß sambt dem geheimnuß / der andere theil aber ohne widerholung des geheimnuß von dem Weiber-Volck.
4. Nach gebettene 10. Ave Maria wird ohne abtheilung gesprochen : Ehr sey dem Vatter / und dem Sohn / und dem H. Geist / als Er war im anfang / jetz / und allweg / und zu ewigen zeiten. Amen. Und auf solche weiß werden die übrige gesetzlein / oder Zehner auch gebetten.

Die 15. Geheimnussen  
des Psalters.

Freudenreicher Rosenkrantz.

1. Den du Jungfrau empfangen hast.
2. Den du Jungfrau zu Elisabeth getragen hast.
3. Den du Jungfrau geböhren hast.
4. Den du Jungfrau im Tempel aufgeopfferet hast.
5. Den du Jungfrau im Tempel gefunden hast.

## Schmerzlicher Rosenkranz:

1. Der für uns Blut geschwitzet.
2. Der für uns geißlet ist worden.
3. Der für uns mit Dornern gekrönt ist worden.
4. Der für uns das Creutz getragen hat.
5. Der für uns gecreuziget ist worden.

## Glorwürdiger Rosenkranz.

1. Der von den Todten auferstanden ist.
2. Der gen Himmel aufgefahren ist.
3. Der den Heil. Geist gesandt hat.
4. Der dich in Himmel aufgenommen hat.
5. Der dich im Himmel gekrönt hat.

## Zu den 3. letzten Ave Maria.

## Zum ersten Rosenkranz.

1. Der uns den wahren Glauben mehre.
2. Der uns die steiffe Hoffnung mehre.
3. Der uns die Göttliche Liebe mehre.

## Zum anderen Rosenkranz.

1. Der unsern Verstand erleuchte.
2. Der unsern Willen vollkommen mache.
3. Der unser Gedächtnuß im Guten stärke.


## Zum dritten Rosenkranz.

1. Der unsere Gedancken nach seinem Willen richte.
2. Der unsere Wort regiere.
3. Der unsere Werck vollführe.

## Auffopfferung.

**S** Glorwürdige / und wunderharliche Mutter Gottes Maria: Diesen Rosenkranz / ( oder Psalter ) opffere ich dir auf / zuvor deinem liebsten Kindlein Jesu Christo zu lob / und Ehr / auch für mich / und alle Brüder / und Schwestern der ganzen  
Brüder


Bruderschafft / für Lebendige / und Todte / auch für  
alles Anligen der ganzen Christenheit / Amen.



## MODUS RECITANDI TRICESIMUM CHRIS- TI DOMINI CONSTANTEM

33. *Pater noster*, & 5. *Ave Maria*, &c.

**O**bserventur omnia sicut in Rosario B. V. incipiendo nimi-  
rùm à formatione †, & recitatione Symboli Apostolici, de-  
inde dicitur *Gloria Patri*, & *Ave Maria*, & hæc omnia si-  
ne alternatione ab universo populo recitantur. Postmodùm di-  
cuntur per tres decades in singulis decem *Pater noster* una parte  
populi orante tres primas, alterâ verò reliquas quatuor petitiones;  
post decem *Pater noster* subjunguntur sine alternatione in qualibet  
decade *Gloria Patri*, &c. & *Ave Maria*. Dictis tribus decadibus  
subjunguntur adhuc tria *Pater noster*, alternatim ea dicendo, &  
concludendo sine alternatione per *Ave Maria*, & *Gloria Patri*, &c.



## MODUS CONCIONANDI, ET DENUNTIANDI.

**S**ingulis diebus Dominicis, & Festis in unaquaque Ecclesia Parochia-  
li haberi debet Concio de Lege Divina vel ante, vel intra Missam Pa-  
rochiale pro cujusque loci consuetudine.

Priusquàm verò Concio inchoatur populus decantat mensurâ gra-  
vi per annum: *Komm H. Geist* / ic. Tempore Nativitatis D. *Der  
Tag der ist so freudenreich* / cc. Tempore Paschali: *Christ ist er-  
standen* / ic.

Si Concio habeatur intra Missam, Parochus immediatè post Evan-  
gelium deponet casulam, & manipulum super Altare in cornu Episto-  
lae, cathedramque conscendet, & factò super se signò † dicat: *In nomi-  
ne Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Deinde subjungat the-  
ma Concionis ex Evangelio: vel S. Scripturâ latine, & mox simplici-  
ter sine aliquo additamento germanicè. Themate dicto addat: *Dise*  
und

und dergleichen wort Euer lieb / und Andacht mit mehrerem vorzutragen ist mir vonnöthen die Gnad / und Beystand Gott des H. Geists / selbe zuerlangen bittet mit mir ein andächtiges H. Vatter Unser / und Ave Maria. *Quibus recitatis surgit, & legit Evangelium diei linguā vulgari hac sequenti admonitione præmissā: Euer Lieb / und Andacht stehe auf / und bezeichne sich mit dem zeichen des H. ✠ und spreche mit andacht: In Namen Gott des Vatters / und des Sohns / und des H. Geists. Amen. Und vernemme die wort des Sonntäglichen ( oder Festtäglichen ) oder hochfesttäglichen / si Feria solemniores sint ) H. Evangelij / welches uns beschriben hat der H. Evangelist N. am . . . Cap. und . . . V. wie folget: 2c. 2c. 2c.*

*LECTO Evangelio sacrum illius textum deosculabitur, & depositō librō, apertoque capite habebit sermonem in Evangelium: vel si gregi sibi commissō magis expedire judicaverit, ut ipsi pars aliqua aut Symboli Apostolorum, aut Orationis Dominicæ, aut Sacramentorum, aut præceptorum Dei, & Ecclesiæ, aut quodvis aliud doctrinæ Christianæ caput explicetur id præstabit, secum ipse etiam, atque etiam reputans, sermones suos ita componi oportere, ut & rudioribus maximè profint, & scientibus non sint onerosi: quod facile assequetur, si in eo totus sit, ut doctrinæ pabulum pijs affectibus condiantur, eaque cum facilitate, & brevitate sermonis, ut conciones ultra tres horæ quadrantes non protrahantur. Caveat autem inprimis, ne dum mores castigat, quemquam ullo modo designet, sed ubi vitia arguenda erunt, in ea sine cujusquam offensione invehatur. Cùm sermoni finem imposuerit aperto capite denuntiabit Fejunia, & Festa, &c. Missas ex fundatione legendas, oblationes, & anniversaria pro defunctis per hebdomadam occurrentia; sponsalia, & alia de mandato Superiorum intīmenda, &c. Quibus peractis Parochus dicet Confessionem generalem vulgari linguā lentè, & distinctè, ita ut ab omnibus audiri, & intelligi possit, & statim subjunget altā, & firmā voce orationem pro cunctis populi Christiani necessitatibus. Postea dicet Misereatur vestri, &c. & indulgentiam, & absolutionem, &c. † &c. Dum Parochus ad altare redit, populus clara voce, & expansis brachijs orabit quinque Pater, & Ave, &c. cum Symbolo Apostolorum, ipse verò resumptis manipulo, & casulā Missam prosequetur, quā finitā albā, & stolā indutus populum aspergit.*



MODUS

DENUNTIANDI JEJUNIA, ET FESTA.

**K**ünftigen N. als den 24. dieses falt ein die Vigil der H. Weyhnacht / und ist ein gebottner Fasttag uns zu diesem hohen Fest zu bereichen.

Künftigen N. als den 25. dieses falt ein das hohe Fest der heiligen Weyhnacht / an welchem die Geburth Christi Jesu von der Kirch hochfeyrlich gehalten wird.

Den folgenden tag falt ein das Fest des H. Erbs-Martyrers / und Leviten Stephani.

Den 27. dieses falt ein das Fest des H. Apostels / und Evangelisten Joannis.

Den 28. dieses falt ein das Fest der heiligen Unschuldigen Kindlein. Seind alle vier gebotten zu feyren.

Künftigen N. als den . . . dieses falt ein das Fest des ( oder der ) heiligen N. ist gebotten zu feyren.

MODUS DENUNTIANDI

Funeralia, & Anniversaria, &c. pro defunctis.

1. **P**ro sepultura: Seind umb Gottes willen eingedenck der abgestobenen / besonders N. N. dessen / oder dero Leichnam morgen umb . . . stund zur Erden wird bestattet werden / 2c 2c.

2. Seind umb Gottes willen eingedenck der abgestorbenen / besonders N. für welchen den N. ( Nominet diem Hebdomada ) das 1. oder 2. Opfer / 2c. Sibend / oder 30ist / oder Jahrstag wird gehalten werden / 2c.

MODUS DENUNTIANDI


Sponsalia.

**E**s haben sich zu dem H. Sacrament der Ehe versprochen der N. N. ( talis conditionis, vel professionis ) gebürtig von N. und wohnhaft in N. diser ( oder in in der Pfarrey N. ) und die N. N. gebürtig von N. und wohnhaft in N. diser ( oder der Pfarrey N. ) und ist dieses die erste / oder zweyte / oder dritte verkündigung.

Et sic Parochus proclamabit alia futura Matrimonia, si plura forsan eodem die proclamanda veniant; addendo ad quamlibet proclamationem, quã vice fiat.

Quod

*Quod si obtenta fuerit dispensatio unius, vel duarum proclamationum, aut alicujus impedimenti Parochus id populo fideliter denuntiare debet. Tum dicet: So nun Jemand gegen diese erst verkündigte hochzeit / oder hochzeiten etwas hat ein zu wenden / oder weißt / daß wegen frey- und verwandschaft / oder sonst andere hindernuß diese hochzeit (oder eine/oder die andere dieser Hochzeiten) nicht gültig / und rechtsmäßig geschehen könnte / der ist im gewissen / und bey Kirchenstraff verbunden uns selbes an zu zeigen / anbey aber verbieten wir auch unter eben solchen straffen / daß niemand aus Bosheit / und ohne billiche Ursach einige hinderung Beytrage / ic.*



## ORDO VISITATIONIS.

**C**um D. Ordinarius parochiales Ecclesias, vel alias sibi subditas visitaturus est, dies Visitationis Parocho, seu Rectori Ecclesie per litteras denuntiabitur, quas Parochus die Dominico, vel festo diem Visitationis præcedente ex cancellis populo præleget.

Pulsabuntur campanæ festivo sono adveniente D. Ordinario, & ipso post peractam Visitationem discedente.

Advenienti D. Ordinario obviam procedet Clerus, ante hunc præcedet Minister cum thuribulo, & alius, qui vas lustrale geret cum aspersorio, post eas Cruciferarius medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis. Cum perventum fuerit ad fores Ecclesie, D. Ordinarius super extensum tapetem, & pulvinare flectenti Parochus indutus superpelliceo, & stolâ albi coloris stans detecto capite, & nihilominus se inclinans, offeret ipsi Crucem sine basilide osculandam. Deinde offeret ipsi aspersorium cum aquâ benedictâ hoc simul & manum ejus osculans, & continuò D. Ordinarius se, & adstantes aspergit. Tum Parochus recepto de manu Ordinarij aspersorio cum osculo manûs, ut priùs, eidem offeret cochlear de navicula incensi, quò sumptò D. Ordinarius imponet incensum in thuribulum à Thuriferario coram stante exhibitum, illudque benedicet. Parochus verò redditâ Thuriferario naviculâ, acceptoque de ejus manu thuribulo D. Ordinarium ter incensabit factâ inclinatione profundâ ante, & post incensationem. His peractis procedit Clerus suo ordine ad Chorum, in quo ante medium altaris genuflexorium tapetibus, & pulvinaribus instructum sit positum. Sit præterea corporale super altare extensum, ardeantque saltem duo luminaria. Sint quoque parata duo pluvialia, vel saltem duæ stolæ una nigri, altera albi coloris. In Sacrificiis verò ordinabuntur vasa sacra, Ornamenta, Missalia, alijque libri ad usum Ecclesie destinati. In reliquis observetur  
Ponti-

*Pontificale Romanum de Visitatione. Si Visitatio fiat per D. Officialem, vel alium Commissarium, idem ritus observabitur, præterquàm quod non præferatur Crux, nec deferatur Baldachinum, neque fiat incensatio, & procedetur ei obviàm dumtaxat usque ad aedes parochiales sub compulsatione tamen omnium campanarum, quæ ad ejus quoque discessum repetitur.*

## PRECES

Recitari solitæ in principio Visitationis  
Parochiarum.

*Ingressus Ecclesiam Dominus Visitator, & ante Altare summum genuflexus dicit:*

*Antiph. Si iniquitates, &c.*

*Psalms. De profundis, &c.*

*Repetitur: Antiph. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?*

*Postea dicit Dominus Visitator:*

*℣. Kyrie eleison.*

*℞. Christe eleison.*

*℣. Kyrie eleison. Pater noster, &c.*

*℣. Et ne nos inducas in tentationem.*

*℞. Sed libera nos à malo.*

*℣. In memoria æterna erunt Justi.*

*℞. Ab auditione mala non timebunt.*

*℣. A porta Inferi.*

*℞. Erue Domine animas eorum.*

*℣. Requiem æternam dona eis Domine.*

*℞. Et lux perpetua luceat eis.*

*℣. Domine exaudi Orationem meam.*

*℞. Et clamor meus ad te veniat.*

*℣. Dominus vobiscum.*

*℞. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**Eus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio:

**D**Eus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam: ut nostræ Congregationis Fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ sembe

Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

**D**Eus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus hîc, & ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut à cunctis reatibus absoluti, Tecum sine fine lætentur. Per Christum Dōminum nostrum,  
R̄. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.

R̄. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

R̄. Amen.

I. O. G. D.

